



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Svcqvet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ**

**Sucquet, Antoine**

**Antverpiae, 1630**

Cap. 13. de periculus vitæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

## CAPVT XIII.

*De tertio stimulo, timoris Domini, qui est Meditatio de periculis hujus vite.*

**P**RÆLVDIVM I. seu COMPOSITIO LOCÆ, est qualis in imagine adumbratur.

**P**RÆLVDIVM II. Oratio.

*Hostes plurimi & potentissimi.*

**P**VNCTVM I. Considera Primò, te undique cinctum hostibus esse, mundo, diabolo, carne, & peccato, ejuſq; occasionibus; neque ullo unquã tempore aut loco eos cessare ad interneccionem te persequi. Credis? quid ergo facturus es? Secundò, eos esse potentissimos, vaferimos & pessimos, & ne quidem unum eorum te posse absque singulari Dei præsidio & gratiã superare. Tertio, adverte, quomodo Angelos è caelo peccatum deturbavit, & deinde Adamum ex paradiso, etsi illi in gratiã creati, & infinitis ( ut ita loquar ) præſidiis vallati essent. Omnem ergo operam adhibe, ut orationis fideique clypeo jacula excipias inimici, & extinguas. O Domine Deus exercituum, in nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos; sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui ut oculos dirigamus ad te. *Credo tibi, &c. ut sup. pag. 7.*

*Attēderi-  
nas bonorū.*

**P**VNCTVM II. Considera ruinas bonorum, qui columnæ cæli videbantur & Ecclesiæ Dei, postquã annos plurimos sanctè pièq; vixissent, uti fecerat Hosius, Lucifer Calaritanus, Ougenes, Tertullianus, &c. tã multi Religiosi, qui à Religione & sanctissimã vocatione suã, atq; adeò etiam à fide persèpè apostatârunt. O judicium Dei abyssus multa! Vide etiam, quàm multi penè usque ad extremum vitæ multo te prudentiores & pietatis studiosiores, tandem in superbiam elati, per hypocrisim lapsi, miseri penerint. Causam horum malorum si exquiras à Sanctis, eam ferè audies; sinceram, puram ac ferventem orationem, & virtutis studium homines

ejuſ-

ejusmodi deseruisse, & sic tepiditate suâ Dei iram, eheu! *Tepiditas causa ruina.*  
 provocasse. Cùm autem non sit peccatum, quod facit  
 homo, quod non faceret alter homo, nisi Dei gratia a-  
 desset; humilis esto in oculis tuis, & orationi & pietati  
 diligenter incumbe, sic B. Antonius de suis hostibus,  
 sic Moyses de Amalech, & quotquot beati sunt in cæ- *Exod. 17.*  
 lis, de inferno triumphârunt. *Aspira*, ut supra pag. 8.  
*Hæcine firmâ fide credo*, ibid.

PVNCTVM III. Considera hæc verba Christi in cru-  
 ce velut coram pendentis: Venite ad me, omnes qui la- *Matth. 11.*  
 boratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. O quàm *Psalms. 118.*  
 dulcia hæc faucibus nostris eloquia tua, ô bone JESV! *Iesu Christi*  
 at quomodò veniemus ad te, nisi traxeris nos in funi- *suavissima*  
 culis Adæ, in funiculis caritatis? Trahe, quæso, nos ad *invitatio.*  
 te, ut curramus velut cervi ad fontes aquarum, qui jam  
 laboramus, & ambulamus vias difficiles & incertas; de-  
 duc nos in viam mandatorum tuorum, & semitas tuas  
 edoce nos. onerati, eheu! sumus multis peccatis; adjuva  
 nos, & propter gloriam nominis tui libera nos; neque *Psalms. 78.*  
 despicias nos, Deus salutaris noster.

### Exercitium, ut à multis vitæ hujus periculis liberemur.

**C**ircumdederunt nos inimici nostri undique, & laqueum *Psalms. 56.*  
 paraverunt pedibus nostris, & anima mea turbata est val- *Actus agni-*  
 de: turbatus est à timore oculus meus, & inveteravi inter omnes *tionis mi-*  
 inimicos meos. Quis deducet me in civitatem munitam? quis me *seriæ no-*  
 liberabit de inimicis meis iracundis? Convertere, Domine, & eripe *stra.*  
 animam meam, & salvum me fac propter misericordiam tuam, *Psalms. 6.*  
 ô JESV, JESV, estne Redemptor mi, est in morte, qui memor sit *Psalms. 107.*  
 tui? in inferno autem quis confitebitur tibi? erubescant &  
 conturbentur vehementer inimici mei, conturbentur & erubef-  
 cant valdè velociter; quia exaudisti Domine deprecationem  
 meam, Domine orationem meam suscepisti. Discedite à me o- *Actus flu-*  
 mnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Domi- *ciæ in Deo.*  
 nus

nus vocem fletus mei. Non timebo millia populi circumdantis me, quoniam, tu, Domine, vocasti me, & suscepisti me.

Applicatio  
ad Com-  
munionē.  
Hom. 61.  
ad Pop.

Imò parasti mihi mensam aduersus eos, qui tribulant me, & quā ut servus tuus Chrysostomus hortatur, tanquam leones ignem spirantes recedamus oportet, facti diabolo terribiles, & caput nostrum revolventes. Quem verò ignem nisi caritatis tuæ? Tu enim Deus meus ignis consumens es, & Deus qui solū exaudis per ignem: etsi enim distribuero in pauperes facultates meas, & tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, nihil tibi cui vivo. Da igitur hanc mihi & sufficit, & cur non sperabo eam abs te, qui teipsum sic dedisti nascens in socium, convalescens in edulium, moriens pro me vilissimo servo tuo in precium, & regnans daturus es in præmiū? Fateor coram te & curiā tuā, debeo tibi me, & plusquam me, sed ecce perū & aeternum, nisi porrigas mihi operi manuum tuarum dexteram.

Actus invo-  
cationis.

Memento ergò Domine, memento, quaeso, quomodo feceris, & refeceris me, & pascas me, & tot annis quaesieris me. Ecce ego, ego, ò JESV, nunc te quaro, dum inveniri potes, & invoco humillimè,

Psal. 9.

& amantissimè te dum prope es. De profundis clamabo ad te Domine, & ad abyssum miseri ordia tuae. Exsurge Domine, exsurge Domine, ne unquam dominantur nobis inimici nostri, sed sciant quia manus tua haec, & tu Domine fecisti eam, & factus es refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non reliquisti querentes te, Domine, sed exaltasti eos de portis mortis, ut annuntient omnes laudationes tuas in portis filiae Sion. Tibi derelictus est pauper, & orphano tu eris adjutor, quoties in oratione consistitur tibi, & extollet manus suas in sancta, & benedicet tibi.

Psal. 10.

Oculi enim tui in pauperem respiciunt, & propter miseriam inopum & gemitum pauperum exurges, & servabis nos, & custodies nos

Psal. 11.


à generatione hac in aeternum. fiat, fiat.

#### Praxis.

Ex aliorum  
miserijs bo-  
na tua dicte.

PRIMò, universum orbem mente decurre, die aliquo certo ac horā ut in Sacro solemni, vel Vesperis; & misérias quas in corpore & animā homines alij patiuntur, Deo quē grates age, quòd ab iis liberum te esse singulari beneficio voluerit.

Secundò,





V. J.

II

Secundò contemplare aliquando mundum velut laqueis tectum, ut cum vidit D. Antonius (laquei verò & decipulae sunt creaturae, quòd carum amore homo implicitus ab hoste capiat) & quo pacto iuvare te aliosque possis, & evadere.

Tertiò, coram Ven. Sacramento aliquoties per diem vel saltem semel te siste, velut ante propitiatorium, imò velut in caelo cum vivâ fide; & pugnas ipsi consecra, victorias acceptas refer, gratiamque pete, ut resistere queas insidiis diaboli, ac proferre te nunquam ratum habiturum, neque habere, si quid humana fragilitate subreperit. *Dignatus es, ut sup. pag. 10.*

Coram Ven.  
Eucharistiâ  
pericula &  
victorias cõ-  
sidera.

## JACVLATORIÆ.

Domine Deus meus, in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequenibus me, & libera me. *Psalm. 7.*

Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me: apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi. *Psalm. 34.*

Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequenibus me. *Psalm. 30.*  
Vt quid Domine recessisti longè, despicias in opportunitatibus, in tribulatione? *Psalm. 9.*

VNDECIMÆ IMAGINIS  
ANNOTATIO.

Emulare Sanctos, & charismata meliora.

Quod si te torpentem tepidumque esse videris, intueri quam fervide promptèque prece, & omni pietati incubuerint Sancti, A Benedictus, Augustinus, Dominicus, Bernardus, Norbertus, Bruno, Ignatius, Catharina Senensis, Teresa, alijque sexcenti. Vide quam multi in B cœnobiiis, in eremo Deum nocte dieque laudent. en C Hieronymum petrus cruentantem, en D Stylitas in tempestatum procellis perstantes; atque in primis E divum Franciscum in Iesu vulneribus colliquecentem. & heu! Peccator in medijs periculis obdormiscit, audi, audi G Dominum dicentem: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.